



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. I

LITTERAE APOSTOLICAE

***BEATA VIRGO MARIA PECULIARI TITULO
« DOMINAE NOSTRAE AB ITINERE PROSPERO »
SIVE VULGARI SERMONE « NOSSA SENHORA DA BOA VIAGEM »
INVOCATA IURE NUNCUPATUR CAELESTIS
APUD DEUM PATRONA OPPIDI AC MUNICIPII ITABIRITO
IN ARCHIDIOECESIS MARIANENSIS FINIBUS****

Ad perpetuam rei memoria. — Propterea maxime iam antiquitus effloruit in Brasiliae regionibus ad mare Atlanticum vergentibus tam fervida ac solida fidelium pietas erga sanctissimam Iesu Christi Matrem Mariam quod potenti ipsius in primis tutelae ac praesenti vigilantiae fidenter se suaque maritima itinera tradiderant prisci navigatores et exploratores ex Lusitania illuc profecti. Immo vero ob hanc rationem progrediente tempore contigit ut intra Brasiliae archidioecesim Marianensem vetustissima paroecia oppidi Itabirito non solum cultui reservaretur eiusdem beatissimae Dei Genetricis verum etiam consentaneo tali fidei titulo decoraretur videlicet « Dominae Nostrae ab Itinere Prospero », vulgari id est sermone « Nossa Senhora da Boa Viagem ». Nihil igitur proprius erat neque in se congruentius quam ut sic invocata Deipara Virgo legitime aliquando institueretur peculiaris illius civitatis apud Deum patrona. Quod quidem liturgicum consilium reapse iniit nominationemque sua auctoritate comprobavit Venerabilis Frater Ansgarius de Oliveira, Archiepiscopus Marianensis, cum clero ac populo suo dilecto prorsus consentiens, nec ullam interposuit moram quin a Sede Apostolica impetraret electio illa ut rata haberetur. Audita proinde sententia Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, Nos, qui persuaserimus Nobis publicam hanc appellationem ac venerationem novam feliciter provecturam esse veterrimum Mariae Virginis honorem et cultum eisdem in locis, potestate Apostolica Nostra Beatam Dei Genetricem sub titulo Dominae Nostrae ab Itinere Prospero confirmamus principalem apud Deum Patronam urbis ac municipii Itabirito in archidioecesi Marianensi Brasiliae, dum iura cuncta et privilegia liturgica eo spectantia simul concedimus. Attamen praecipimus ut singulis religiose

obtemperetur regulis quae secundum Instructionem eiusdem Sacrae Congregationis « de Kalendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis » n. 30 custodiantur oportet ; contrariis quibuslibet minime obstantibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae ad amussim servatae suos omnes tam nunc quam posthac exserant effectus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die I mensis Septembris, anno MCMLXXVIII, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES Card. VILLOT, *Secretarius Status*

* ASS, vol. LXX (1970), pp. 757-758.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana